UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

COLLATIO-||NVM SACRARVM|| LIBRI VIII.|| Tilmanni Bredenbachij S. Th. D.||

Bredenbach, Tilmann

Coloniae Agrippinae, 1592

VD16 B 7378

25. De D. Petro Apostolo, qui mœniorum Romanorum partem tuendam suscipiens, ab hostium impetu liberam conseruauit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-65002

Visual Library

tus plurimi, dixerunt ad inuicem Syri: Ecce mercede conduxit aduerſum nos. Rex Iſrael reges Gethæorum & Aegyptiorum, & venerunt ſuper nos, ſurrexerunt ergò & fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria ſua, & equos & aſinos in caſtris, fugeruntque, animas tantum ſuas ſaluare cupientes.

Procopius lib. 1. de bello Gothorum. De D. Petro Apoſtolo, qui mœniorum Romanorum partem tuendam ſuſcipiens, ab hoſtium impetu liberam conſeruauit.

CAP. XXV.

GOthis Romam obſidentibus, apud portam Pincianam proximi muri pars quędam lapidum laxata iampridem compage, ſedam lapidum ... iuncta ſpectatur, non tantum à ſolo, ſed à medio ad ſummum faſtidium ſciſſa: nec ſanè collapſa, nec aliàs reſoluta, ſed vtrinque ſic inclinauit, vt cętero muro extrinſecus partim prominentior eſſe appareat, partim retractior. Hanc muri partem cùm demoliri tunc primùm Beliſarius niteretur, & iterato ædificare cœpiſſet, obſtitere Romani, Petrum Apoſtolum pro indubitato ſe comperiſſe aſſeuerãtes, eius loci tuendi pollicitum curam ſe ſuſcepturum. Quod vtique Romanis ex voto ſucceſſit, quandoquidem nec eo die, quo per Gothos ſunt mœnia oppugnata, nec per omne id tempus, quo vrbem obſederãt Barbari, hoſtilis vis vlla ad hunc locum peruenit, nec planè vnquã tumul-

tumultuatum. Et ſanè me admiratio ſubit, nec Romanis nec hoſtibus ipſis, in ea tam diutina vrbis obſidione in memoriam veniſſe, muri hanc partem: quæ res cum miraculi poſtea loco ſit habita, nec ſarcire quidem in poſterum quiſquam, nec de integro reſtituere auſus eſt: ſed ad hunc diem ea è regione ſeiunctus permanet murus.

Gregor. Turonen. lib. 2. cap. 5. hiſtoriæ Francorum. De Chunis in Gallias prorumpentibus, & quomodo S. Seruatius Tungrorum Epiſcopus precatus ſit Deum, & SS. Apoſtolos, ne gentem illam Barbaram Gallias veſtare permitteret.

CAP. XXVI.

CHunis in Gallias irruptionem meditantibus, erat apud Tungros oppidum Seruatius eximiæ ſanctitatis Epiſcopus, qui vigilijs ac ieiunijs vacans, crebro lachrymarum imbre perfuſus, Domini miſericordiam precabatur, ne vnquam gentem hanc incredulam, ſeque ſemper indignam in Gallias venire permitteret. Sed ſentiens per ſpiritum, pro delictis populi, ſibi hoc non fuiſſe conceſſum, conſilium cepit, vt expeteret vrbem Romanam, ſcilicet, vt adiunctis ſibi Apoſtolicæ virtutis patrociniis, quæ humiliter à Domino flagitabat, mereretur facilius obtinere. Accedens ergò ad beati Apoſtoli tumulum deprecabatur auxilium bonitatis eius, in multa abſtinentia, maxima inedia ſe conſumens, ita vt biduo triduo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN